

X 231 6767

II f
1100

FELIX MATRIMONIUM NON OPI-
NIONIBVS METIENDVM ESSE

Affirmat

Ac

Viro Admodum Reverendo ac Doctissimo

M. CHRISTIANO
PORSBERGERO

Schœnerstadiensium Pastori Optime
Merito

Virginem Nobilissimam & Insigni Virtute Ornatam

CHARLOTTAM
DOROTHEAM

VIRI

Quondam Admodum Venerandi Amplissimi atque Doctissimi

M. IOANNIS ADAMI MIRI

Ecclesiæ Reichstadiensis Pastoris Longe Meritissimi

Filiam Natu Minorem

Die IV. Octobris A. O. R. clo lo cc xxxv

Reichstadii in Matrimonium ducenti

sincera Animo gratulatur

M. IOANNES ABRAHAMVS SIEGERTVS.

DRESDÆ PRELO HARPETERIANO.



47

ELLY MATHILDE WILHELMINE

geb. am 10. März 1848 in ...

... in ...

M. CHRISTIANE

geb. am 10. März 1848 in ...

... in ...

M. T. A. M.

M. T. A. M.

M. T. A. M.

M. T. A. M.

M. T. A. M.

M. T. A. M.


M. T. A. M.

M. T. A. M.





Mirum *opinationis* regimen tantas acquisivit vires, ut non immerito credatur, *mundum opinionibus regi*. Homines, alioquin libertatis amantissimi, duro opinionum jugo colla sua lubenter submitunt adque eas, ceu normam omni exceptione majorem, actiones suas non raro componunt. Veritas, quam quilibet quovis amore dignari debebat, throno deturbata summi sapenumero jacet atque inepti ingenii lusus cristas erigunt multosque nanciscuntur patronos. Actionum bonitatem, vel pravitatem opinione quandoque determinari experientia scimus, & magnam decori nostri partem hinc originem trahere justus rerum existimator facile animadvertet. Hæc opinionum vis plurimos ita in transversum agit, ut sibi de rebus omnibus judicium arrogant eaque damnent omnia, quæ ab ipsorum opinione sejuncta cernunt. Hi homines felicitate quadam, in cerebro nata, se aliosque decipiunt. Vitæ genus, ipsis probatum, aliis quoque obtrudunt, quod si gravi ratione motus eligere recusas, cave,



ne ceu truncus atque stipes & homo vitæ honestæ nescius misere traducaris. Et quid quæso est, quod opinionis tyrannidem non experiatur? Exinde consequitur, opiniones, quæ in mundo circumferuntur, sine prævio examine neque admittendas, neque ex iis de alicujus rei indole, dignitate atque præstantia judicium esse ferendum.

Solennia TVA, VIR ADMODVM REVERENDE, nuptialia me ad calamum arripiendum excitarunt: æquitas non consuetudo postulat, ut TIBI de fausto conjugio gratuler, prius vero quam id fiat, *felix matrimonium non opinionibus æstimandum esse* paucis pro exiguo scientiæ modulo probatum dabo.

Omni tempore homines extitisse, qui de ipso matrimonio non adeo bonas foverunt opiniones, haud longa probatione eget. Ex veteribus tum Græcorum, tum Latinorum scriptis apparet, quod illi etiam, qui sapientiores olim habebantur, satis inique de societate conjugali judicant. Uxorem cum CATONE, MENANDRO, PHILEMONE aliisque sibi concipere ut malum, imo ut necessarium & immortale malum, quid hoc aliud est, quam sensa animi in matrimonium injuriosa prodere? cum tamen conjux a SALOMONE, divino spiritu illustrato bonum appelletur. Sed ita gentiles quidam, in tenebris oberrantes judicant, in Christianorum forsan animis omnes ejusmodi opiniones erroneæ per revelationem & meliorem rationis usum deletæ sunt? minime omnium. Multorum opiniones, qui nomen a mundi Servatore gerunt, illis, si non pejores, certe meliores non sunt. Famulus *Evangelii Medici* præco, BERNARDVS CONNOR prodeat testis: *nec dum, inquit, uxorem ipse duxi, nec eorum consilium laudo, qui bis ducunt. Mibi satis placeret, si nobis etiam, arborum more, citra conjunctionem procreare liceret,*

ceret, sive alia quæpiam reperiat^{ur} rerum propagandarum ratio, quam coitionis illa vulgaris & trivialis. Nihil profecto ineptius est, aut viro sapiente indignius nihil, quod mentis celsitudinem turpius dejiciat, quam si animo jam deseruente reputet, quam insigniter ineptierit. Sic insigniter ineptit, qui conjugum ineptias depingere conatur. Creatura bonam Optimi Creatoris ordinationem taxat immemor effati divini: *non est bonum, ut homo existat solus, faciam igitur ei adjutorium, h. e. sociam vitæ, thori & mutue cohabitationis, quæ cum & coram ipso sit.* Quam abjecte vagæ libidini litantes de connubio sentiant, ore ac scriptis satis superque testantur. Quantum vero opinioni datum sit, cum eruditi propter polygamiam, polyandriam & concubinatum in certamen descenderent aliis dijudicandum relinquo, nec plura opinionum monstra a male feriatis hominibus parta allegabo. Hoc equidem in dubium vocari nequit, matrimonia variis post corruptum mortalium statum laborare incommodis atque molestiis; imo ceremoniæ, decorum aliaque, quibus se nuptias contrahentes & matrimonii fœdere juncti nonnunquam subicere coguntur, quorundam animis odiosam connubii ideam vitio imaginationis ingenerare valent. Accedit & hoc, quod rara sit conjugum concordia, non enim omnes mariti Socratis modestia & patientia sunt instructi, quippe qui, A. GELLIO teste, *uxorem morosam & jurgiosam irarum & molestiarum muliebrium per diem perque noctem scatentem æquo animo domi perpeti poterat.* Fieri itaque potest, ut multi propterea de vita conjugali perverſas concipiant opiniones. Quemadmodum vero hæc atque alia vitia non matrimonii naturæ, sed quorundam conjugum culpæ imputanda sunt, ita secundum communes hominum opiniones matrimonio pretium statuendum non est, alias de ejus dignitate ac præstantia actum esset.



Idem sentimus de *felici matrimonio* iudicaturi. Quilibet homo agit propter certum finem, quem si obtinuerit, se felicem prædicat. Cum vero ea sit dispositio mentis, ut ex felicitate nostra maximam percipiamus voluptatem, *felicitas ultimus ac principalis actionum finis* erit. Ergo & matrimonia propter felicitatem quandam obtinendam contrahuntur, illaque felicia dicenda videbuntur, per quæ finem memoratum consequimur. Ast non dicam, quod multos spes concepta sæpissime destituat, sed id tantum monebo, quod pro ingeniorum, propensionum passionumque diversitate diversas sibi homines fingant felicitates, quæ vel in vitiorum classem referendæ, vel boni speciem mentiuntur, vel tot tantraque mala secum ferunt, ut bonum impetrandum longe superent. Voluptatibus immersus pulchram formam interiori animi pulchritudine neglecta respicit; ambitionis oestro percitus conjugem, parentibus in summo honorum fastigio constitutis, prognatam, quarit; avaritiæ deditus fallaci nummorum splendore ac incerta aliorum bonorum copia delectatur: alii alia sectantur, & quivis horum se magnum invenisse bonum opinatur, quando fortuna passionibus responderet. Dantur, qui insigni se facultate iudicandi excellere sibi imaginantur, varia vi imaginationis, qua polleant, felicitis matrimonii requisita colligunt, quæ ubi observant felicem conjugatis successum nulli dubitant spondere, licet eventus longe aliud doceat. Quot insuper capita, tot sensus, quapropter ex his aliisque præiudicatis opinionibus iudicium de conjugii felicitate formandum non est, nisi errorem committere velimus.

Matrimonium est societas inter marem & fœminam sobolis procreandæ atque educandæ gratia juxta præscriptum divinum imita. Omnes suas actiones ad voluntatem Creatoris componere obligantur, circumspeditione itaque opus est, ne societatem




tem nuptialem ineuntes quicquam ei contrarium admittant memores oraculi PAVLNI: *τι ποτε, παντα εις δεξον θεε ποτε.* Honorem Dei promovendum semper ob oculos habentes cavent sibi, ne fines a Creatore intentos migrent, ergo societatem nuptialem inituros ad finem ejus primum, qui est legitima sobolis procreatio, & bona ejus educatio, respectum habere oportet. Tranquille & beate vivere posse vitam socialem felicem reddit, hoc ut eo melius obtineas in societate conjugali, non tam externa corporis, quam interna animæ bona quaras necessum erit. Cum vero homines, quando suis viribus atque prudentiâ unice nituntur, facili negotio decipiuntur, ad Deum ante omnia preces ardentissimæ fundendæ sunt, ut Deus ipsis matrimonium, quod meditantur, fortunet, quo facto egregium felicitatis matrimonialis fundamentum ponent. Et ut omnia in compendium mittam, illud sine dubio conjugium felix pronuntiandum erit, quod benignissimus Deus benedictione beare ita dignatur, ut maritus in uxore & uxor in marito BONVM inveniant, id quod eo certius, ni fallor, sibi polliceri poterunt illi, qui supra dicta omni studio observant.

Atque ejusmodi felix conjugium TIBI quoque, VIR REVERENDE, divina providentia concessit, dum hodie cum Virgine nuptias celebras, quam præstantissimarum virtutum decus ita commendat, ut Bonis ILLA merito annumeretur. Mira beati MIRI pietas, doctrina atque industria etiam post fata celebrantur; Letissimæ MATRIS proba ac inculpata vita sexui sequiori præbet exemplum: Et
OPTI-



OPTIMORVM suorum PARENTVM optimæ in-
dolis filia TIBI collocatur, nonne TE ob bonum
inventum felicem prædicarem? Nobilissimam vero
Sponsam, cum Marito pio, atque erudito conjuga-
li nexu copulatam non minori frui felicitate fir-
missime sum persuasus. Gratulor itaque VOBIS
felix matrimonium Deumque precor, ut non tan-
tum illius initium, sed etiam medium atque finem
vera, nullisque malis interrupta felicitate coronet
usque dum post multorum annorum decursum
eo perducamini, ubi summa est
Felicitas.





Farbkarte #13

B.I.G.

Q. N. 352, 65.

X 2316767



FELIX MATRIMONIVM NON OPI-
NIONIBVS METIENDVM ESSE

Affirmat

Ac

Viro Admodum Reverendo ac Doctissimo

M. CHRISTIANO
PORSBERGERO

Schœnerstadiensium Pastori Optime
Merito

Virginem Nobilissimam & Insigni Virtute Ornatam

CHARLOTTAM
DOROTHEAM

VIRI

Quondam Admodum Venerandi Amplissimi atque Doctissimi

M. IOANNIS ADAMI MIRI

Ecclesiæ Reichstadiensis Pastoris Longe Meritissimi

Filiam Natu Minorem

Die IV. Octobris A. O. R. clo lo cc xxxv
Reichstadii in Matrimonium ducenti

sincera Animo gratulatur

M. IOANNES ABRAHAMVS SIEGERTVS.

DRESDÆ TRELO HARPETERIANO.

